



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Dasius Mart. 20. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

JESVM videre curato : intuere prius exaltatum serpentinum in deserto , si videre desideras Regem in solio residentem. Ista te humiliet visio, ut illa exaltet humilitum: reprimat istatumorem tuum, ut illa repleat desiderium tuum. S.Bern.ferm.r.de verb.Isaiae.

S. DASIUS MART. 20. Novembris.

ID quod palam hodie , & sine larvâ dæmon facit, hoc jam olim fecit Saturnum mentitus. Voraverat hic plus quam inhumanâ ingluvie filios suos , & viscera sua in viscera crudeli dente congefferat. Scilicet divinitatem hæc impietas meruit, cui deinceps orbis puerorum sanguine ac morte litaret. Et tenuit hic mos non unam ætatem , atque Christiana sæcula etiam infamia suâ aspersit. Ita Dorostorum urbs scelere, quod nec, qui alluit illam , Ister satis eluet , annis singulis ipsum juventæ florem principemque infando sacrificio immolabat. Ut verò cò pulchriùs hoc adornaret , xxx. omnino dies omnibus deliciis victimam infelicem saginavit , utque splendidius periret, purpurâ auroque induit, sic inter risus potius quam gemitus morituram. Atque hæc sors cum DASIVM formæ omnis compendium nominasset, invitatus scilicet ad patria sacra, palam detrectavit non mortem, sed causam mortis. Nam qui Saturno noluit, rectè Christo victima proculbuit. Exhorrescit is, scio, parentes infanda hæc sacra : at quid aliud paratis , quam orco victimam, cum filios voluptatibus frangitis , vestium luxu corruptitis , & in patriæ conspectu indulgenti amplexu perimitis , ipsissimi & heu ! inter medios Christianos , Saturni ? Quam rectius , filios Christo, cum hic parvulos ad se vocat, non negaretis ?

.Nov.
erpen-
o refi-
nilia-
eside-

20. Nov. VITÆ S A N C T O R V M . 567
retis ? Ex Menais & Menolog.

Homo redi ad Deum sic amatus à Deo , & ad illius gloriam da totum te , qui se totum propter te ad suam deduxit injuriam : & voca patrem fidens , quem tanto amore tuum probas , sentis , intelligis esse genitorem .
S.Pet.Chrys.serm.70.

S. EDMUNDUS M A R T . 20. Novembris.

A lter EDMUNDVS rex est ; altera Angliæ gloria. Hic anno DCCC.LXX. cùm Jugar Daniæ rex, vastitate Angliæ ingenti illatâ , misisset, qui regias gazas veluti suæ jam victoriæ præmia , nî totas mallet amittere, dividere secum juberet, fortiter respondit. Nulla se latronibus stipendia numerare solitum: liberum se & regem meminisse , neq; aliter, cùm vires starent, partitum divitias suas , quām ferro fuisse. Nunc post lacerum regni corpus quid capiti parceret? plebeio sanguine huc usque ebrium rectius regium hausturum. Tum denique se extincto totam hereditatem adiret. Inter spolia Numinis iram etiam , & vindictam reperturum. His in majores jam iras versus Jugar captum non regiis catenis oneravit ; flagris deinde servilem in modum acceptum , scopum esse militum sagittis jussit ; demum caput auferri, aliter à cælo jam coronandum. Porrò hoc feris in pabulum inter dumeta abjectum præclarus jam denique custos lupus tutatus est , & cùm caput suâ voce se quærentibus prodidisset, etiam funus mæsto ululatu prosecutus scribitur. Tyranno in lupum abeunte, lupum in hominem reddisse dixisses. Sed & caput corpori suo redditum integrumque à tabo longè post repertum ajunt; quin barbæ capitisque pilos succrescentes quotannis detonsos esse . Et dubitabimus porrò virtutem